



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

VIII. Lindbertvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

perator Lotharius, Imperij fasces reliquerit, Augusto pede Prumiense cœnobium ingressus, dato posteris documento, satius esse obedire, quàm imperare. Hujus Archipræsulis laudes eximias commendârunt etiam epistolæ non paucæ Pontificiæ, quibus Pontifex D. Nicolaus cognomento Magnus eundem animavit, ut Ecclesiæ & Imperio pro viribus prodesse pergeret; quò minùs tamen pergere potuerit, impedît mors coronis & mitris major post annum Sed. 7. *Leg. Gratianum, VVionem, Cochlaum, Serar.*

### VIII. LINDBERTVS.

**L**indbertus à variis authoribus vario scriptus nomine, id ab universis & singulis obtinuit encomium singulare, ut à nemine reprehensus, ab omnibus laudatus fuerit multis modis. Et sanè difficillimum fuit laudem mereri hominum ferè omnium eo tempore, quo in partes divisi nepotes Ludovici Imperatoris inter sese pugnârunt, & Lotharius Austrasiæ Rex repudiata conjugè Theutberta, Walradam obmururante Germaniâ ferè universâ, Italiâ & Galliâ, thalami consortem deperibat. In multiplici eoque difficili rerum articulo opus fuit Lindberti arte & consilio, melle & felle, vino & absinthio, ac tandem gladio & fulmine, ut Supremi Pontificis sententiâ refecarentur ab Ecclesiæ corpore membra pertinaci lue infecta Rex Lotharius & adultores duo etiam Archiepiscopi cum appendice, ut fit, longissima. Hinc coactum est Concilium Sueffionense, in quo Lindbertus contra Regem, Trevirenses simul & Colonienses Archiepiscopum dixit mentem suam, ac demum Pontificis nomine anathemate armatam sententiam, in utriusque sedem vocatis Archiepiscopis novis. Virtutem constantiæ tum maximi fieri meritò, nôrunt universi, cùm instar auri igne, hoc est difficultatibus examinantur maximis. Ita profectò Archipræsulis Moguntini opera instar probati auri examinârunt & laudârunt tempora difficillima, nec latum

guem à suo proposito hunc Archipræsulem dimoventia. Argumento probatissimæ virtutis erat etiam Carolus Crassus postea Imperator, cum juvenis adhuc à dæmone arreptus tristissimum in modum est divexatus, nec alio adversus orci mala adhibito remedio, quàm solius Lindberti precibus liberatus. Idem Carolus successu temporis ob varia rerum capita, communi totius Imperij calculo exauthoratus, inter homines ferè neminem, nisi solum Lindbertum habuit solatorem reliquum, qui plenus meritis an. 889. diem obiit suum publica populi voce inter Beatos jam tum relatus. Sedit Moguntiaë annis 26. sub Pontificibus sex, nimirum Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. Mariano I. Hadriano III. & Stephano VI. *Vide Reginonem, Annales Pitheanos, &c.*

### IX. SVNDEROLDVS.

**S**underoldus ex Principe Monasterio Fuldensi in Moguntiaë Ecclesiam evocatus, trium annorum compendio absolvit partem vitæ reliquam: Normannis enim barbaris in Germaniam irrumpentibus, & ad Mosam fluvium maximè clades inferentibus, cecidit inter Christianos Duces Dux ipse & gregarius miles Archiepiscopus, qui accensus zelo Apostolico pro re Orthodoxa pugnavit, more Martyrum occisus ab hostibus Christo infensissimis: Unde inter Martyres Archipræsulem hunc à literis & virtutibus laudatissimum apertè numerârunt *Sigbertus & Trithemius.*

### X. HATTO I.

**H**atto aliis otto dictus, obscuro genere (*an in Suevia, an alibi incertum*) natus, naturæ tamen dotibus clarissimis instructus, in *Augia divite & Monasterio elvacensi Præsul,* multis præclaris inclaruit facinoribus, reprehensus ob id demum maximè, quòd claram nominis sui suorùmque famam solis aut syderis instar ful-

gens